



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd etiam Persarum regi qui legatos miserat, pro Christianis in Persia
scripserit. Cap. VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

*Variorum barbarorum legationes, & hiis
ab imperatore tributa munera.*

CAP. VII.

INdeq; factum est, vt frequentes vndiq; ex omnibus gen-
tibus legati adessent secumq; preciosa dona ad impera-
torem afferrent: ita vt qui fortuito ad vestibulum regia-
rum portarū accederent: claras & illustres barbarorum per-
sonas quasi ordine quodam dispositas animaduertere pos-
sent: quibus vestis non eadem: formarum species dispar: co-
ma vero tum capitis tum genarum valde dissimilis: vultus
ipse truculentus, barbarus, horribilis: Corporum incredi-
bilis pene magnitudo. Iam aliis ora rubebant: aliis niue erāt
candidiora: nonnullis mediocri colore imbuta. Nam Blem-
myum & Indorum Legati. *Aethiopumque simul quorum ia-*
cet extima tellus, in ista hominum serie conspiciebantur.
Hij singuli tanquam in tabulis depicta, honoraria munera
ad imperatorem adferebant: coronas hij aureas: illi ex pre-
ciosis lapidibus diademata. Iam alii flauam comam, alij au-
ro & floribus contextas barbaricas vestes: equos alij: alij cly-
peos & longas hastas & sagittas & arcus: quibus imperatori
(si ita ei videretur) officium suum & societatem in omni-
bus bellis se offerre significabant. Quæ postquam accepif-
set imperator, suumque singulis tribuisset locum, vicissim
eos tantis muneribus donisq; ornauerit: vt eodem puncto
& momento temporis, legati locupletissimi euaderent. In
quibus etiam nonnullos cæteris clariores & nobiliores Ro-
manis honoribus sic illustrabat: vt plerique obliti ad pa-
trios lares reuersionis, genus hoc vitæ amplexi sunt.

*Home. 10
Odyss.
primo fo-
lio 1. 4*

*Quòd etiam Persarum regi qui legatos miserat,
pro Christianis in Persia scripserit.*

CAP. VIII.

CVM verò etiam Persarum Rex Constantino per lega-
tos notus esse cuperet: ei que dona quædam mitteret,
tanquam fœderis & amicitia signa: cum hoc quoque
se imperator societate & fœdere coniunxit: & incredibili
quodam studio perfecit, vt à quo ipse primum honorū præ-
miis prouocatus esset, eundem refundendis honoribus &

O o 3 præ-

EVSEBII DE VITA

præmiis longè superaret. Idemq; cum accepisset apud Per-
fas frequentes esse Dei ecclesias : & infinitum penè popu-
lum, Christi gregibus contineri : non mediocri ex hac fa-
ma affectus voluptate, vtpote quem communis quædam
omnium cura tangeret : de iis etiam sollicitus erat.

*Constantini Augusti ad Saporem Persarum regem summa
cum pietate & religione Deum & Christum
confitentis. CAP. IX.*

Exemplum epistolæ ad Regem Persarum.

Diuinam fidem conseruans, veritatis luce perfruo : &
huius veritatis luce ductus, diuinam fidem intelligo.
His igitur vt res ipsæ confirmant sanctissimum Dei,
cultum percipiens, hanc colendi rationem quasi magistram,
me habere profiteor ad cognitionem sancti Dei. Huius,
Dei vim & potentiam auxiliatrices meorum bellorum na-
ctus : ab ipsa vltima oceani ora exorsus, vniuersum inde or-
bem firma & salutaris spe crexi : ita vt omnes gentes quæ
tot tyrannorum dominatu oppressæ, dum quotidianis ca-
lamitatibus cederent, prope extinctæ essent, mea opera me-
isq; laboribus ad commodiorem statum reuocata sint.
Hunc Deum immortalis memoria me honorare profiteor.
Hunc liquida & pura mente celsissima in sede locatum, a-
uidissime contemplor.

*Contra idola, & de Dei glorificatione.
CAP. X.*

Hunc humi procumbens inuoco : omnem sanguinem
Hexecrandum & odores ingratos ac detestandos ab-
horrens : omnem terrestrem è sacrificio flammam fu-
giens : quibus omnibus turpiter pollutus nefandus & in-
explicabilis error, multas gentes & totas ferè nationes ad
profundissima tartara proiecit. Nam quæ huius vniuersi-
tatis Deus ad humanæ prouidentiaë necessarium vsum be-
nignitate quadam sua in lucem ædedit : hæc ad cuiusque
cupiditatem rapi nullo modo patitur, putam solummodo
mentem & animum omni labe vacantem ab hominibus fla-
gitat : quibus ille virtutis & pietatis actiones ponderat.

Bonia